

omnes et singulos possessores. 2) Dominus praedii servientis nihil facere potest, quo servitus activa ejusque usus diminuatur vel difficilior usu fiat, e. g. non potest mutare viam, ductum aquarum etc., nisi in commodum rei dominantis aut propter necessitatem reparationes etc. faciendi; dominus praedii dominantis nihil potest, quo onus servitutis passivae gravius evadat.

8. Quomodo servitutes sive extinguantur sive acquirantur solo temporis lapsu vel praescriptione, infra dicetur. Quando vero positiva institutione oriuntur, haec ipsa dispositio juris et facti inspicienda est.

Caput II.

De temporalium bonorum domini subjecto in particulari.

887 Supra jam dictum est, quibusnam in genere dominium competere possit; atque simul innuimus, posse leges positivas ipsius domini ejusve acquisitionis limites quosdam ponere, sive etiam illud extendere. Positivae igitur legis statuta attendi prorsus debent, quando de juris subjecto seu de diversorum subjectorum juribus disputamus. Attamen quae generatim de legitima domini aliorumve jurium acquisitione statuta sunt, doceri debent, quando singuli *modi* jurium acquirendorum considerantur. Hic solum ea attingemus, quae de certis quibusdam hominum ordinibus eorumque limitato dominio statuta sunt, quaeque in dirigendis aliorum conscientiis difficultatem specialem efficere possunt, videlicet de dominio 1. filiorum familias, 2. uxorum, 3. clericorum, 4. scriptorum seu auctorum.

§ 1.

De dominio filiorum familias.

Praenotanda: I. Filii-familias vocantur omnes liberi utriuslibet sexûs sub paterna potestate constituti.

Sub paterna vero potestate aliquis constituitur

1) natiuitate ex legitimo matrimonio; 2) legitimatione subsequenti (quae fit subsequenti matrimonio, modo fuerit proles nata a parentibus matrimonii ineundi capacibus; — alias legitimatione opus est a competenti auctoritate publica concessa, si qua conceditur: generatim non conceditur neque concedi potest, si adfuit inter parentes impedimentum matrimonii *indispensabile*¹); 3) adoptione (attamen haec filium adoptivum non ita subiecit sub patrem adoptivum quoad bona filio propria, sicuti naturalis paternitas). *Finitur paterna potestas* a) morte naturali aut civili patris: attamen nisi filius eo tempore illam aetatem habeat, qua emancipatio concedi potest, paterna potestas transit in

¹ Lex civilis in Anglia non admittit legitimationem per subsequens parentum matrimonium.

alterum, ita ut jus filii non mutetur; b) emancipatione sive expressa, sive tacita.

II. De emancipatione seu dimissione ex paterna potestate ex positivis legibus haec notatu digna sunt:

1. Emancipatio fieri *debet*, filio volente, post annos majorennitatis; imo jus *commune* filios majores per se sui juris constituit; jura particularia, ut Borussic., Bavaric., solam facultatem postulandi emancipationem concedunt; quae re ipsa per declarationem parentum efficitur.

Fieri *potest* emancipatio, si in vivis est pater, ab ipso patre post annum 15. filii completum; patre mortuo, a curatoribus post annum 18. completum secundum cod. Gallic. § 477 et 488. Alia jura alios terminos aetatis constituunt, ut jus Borussic. annos 20.

2. Emancipatio filii minoris fit a) — id quod jus Borussic. negat pro *filia* (prout sentent. judic. 6. Maji 1881 lata est) — expressa patris vel curatoris declaratione pro diversis juribus privatim aut coram iudice facta; b) si filius legitimo parentum consensu — ita saltem recentiora jura disponunt — vel matrimonium iniiit¹, vel separatam societatem domesticam condidit, sive proprio Marte artem exercet². Cf. Pruner *Theol. moral.* pag. 500, ed 2; pro Anglia Crollly *de just.* vol. I. n. 458.

Aetas autem majorennitatis nunc fere ubique pro filiis utriuslibet sexûs statuitur 21. annus completus.

NB. Jus Gallicum novum hunc terminum fixit (cf. Cod. Gallic. cit.). Jus Romanum novum idem constituit sub Gregor. XVI.: v. Gury-Ball. I. n. 762 not. Jus regni Germaniae pro toto imperio a 1. Jan. 1876 eandem aetatem statuit (lege 17. Febr. 1875).

Antiqua jura discrepabant. Ita jus Rom. antiq. annum 25. completum statuerat, jus Borussicum 24.

III. Varia bonorum genera recensentur.

A. Nimirum a jure Romano haec distinguuntur:

1. Bona *castrensia*, quae filius occasione militiae acquisiverit.

2. Bona *quasi-castrensia*, quae ex aliquo alio publico officio acquisita sunt.

3. Bona *adventitia*, quae filio aut ipsius filii intuitu donata sunt, aut illi aliunde quam ex bonis paternis advenerunt.

4. Bona *profectitia*, quae aut vivente patre ab eo quoad substantiam filio collata sunt, aut ab aliis intuitu patris filio donata, aut quae filius ex bonis paternis, e. g. negotiatione cum paternis bonis, lucratus est.

B. In jure Gallico haec tantum distinctio fit:

1. Bona a filio *ex industria separata* acquisita, aut soli filio data.

2. Bona, quae filius *alio modo* aut labore et industria, aut dono acquisivit.

C. Jus Borussicum fere eodem modo distinguit.

1. Bona filiorum *libera*, quae constituuntur 1) ex iis quae separata industria acquisierunt (acquisitio, quae fit extra gestionem paterni negotii — „der Erwerb ausserhalb des Betriebes des väterlichen Geschäftes“); 2) ex iis, quae filio donata sunt, ita ut donator parentes expresse ab usufructu excluderet; 3) ex bonis parciomonalibus, vid. quae filii parcius vivendo seposuerunt ex eo, quod extra domum viventes a parentibus pro sustentatione pleno jure acceperant.

¹ Ita jus Gallicum § 476; idem obtinet ex jure Germanico communi, secundum quod ipsum matrimonium in initum, modo a filio, si minor adhuc est, consensus parentum habeatur, paternam potestatem extinguit; jus Borussicum hunc titulum matrimonii etiam cum consensu parentum in initum non admittit pro minoribus, nisi de *filibus* agitur.

² Jus Borussicum ita habet: „Wenn Sohn oder Tochter einen eigenen Betrieb oder Haushalt anfängt mit des Vaters actuellem oder legitimer Einwilligung“ (cui concordat consuetudo in reliqua Germania).

2. Bona *non-libera* comprehendunt omnia reliqua. Cf. Pruner *de jure seu „Lehre vom Rechte“* I. § 20 et 21.

D. Jus Austriacum etiam amplius filiis familias in dispositione bonorum favet.

E. Jus Anglicum bona filiorum diversa non ita distinguit, concedit eis *jure suo* bona possidere et acquirere (cf. Croll, I. n. 464 et 465).

His praenotatis, de jure et dominio filiorum familias haec teneto:

I. Secundum jus Romanum bona *profectitia* pleno jure patris sunt, sed filio manent, si pater bonis suis in poenam privaretur; bona *adventitia* filii sunt, sed quamdiu sub paterna potestate est, pater usumfructum habet (igitur ab aetate majorenitatis per se cessat facultas patris in illa bona); bona *castrensia* et *quasi-castrensia* pleno jure filii sunt, sed *ante pubertatem* eorum administrationem non habet.

II. Jura in Germania vigentia fere eodem modo patri concedunt usumfructum bonorum adventitiorum seu *non-liberorum*, quamdiu filius *minor* est; solam administrationem bonorum *liberorum* pro filiis *minoribus*.

NB. Jus Austriacum usumfructum quorumlibet bonorum filii vult impendi solummodo in utilitatem et sustentationem ipsius filii. Jus Anglicum etiam solam administrationem bonorum filii minoris (usque ad 21. ann.) eamque restrictam patri concedit.

III. Secundum jus Gallicum filius-fam. perfectum dominium bonorum habet, quae separata industria acquisivit, vel quae ipsi soli donata sunt; filius minor nondum emancipatus administrationem nondum habet. — Reliquorum bonorum ususfructus usque ad filii emancipationem, sed non ultra 18. aetatis annum, patri aut, eo defuncto, matri, si vidua manserit, conceditur.

889 Conclusiones et major explicatio pro praxi confessorii.

1. Quae filius minor nondum emancipatus, in domo paterna in arte, negotiatione etc. patris occupatus, lucratur, etiam secundum ea jura, quae filium sui juris faciunt ad bona acquirenda, generatim non filii, sed patris sunt; siquidem non sibi, sed patri acquisivit et acquirere debuit.

2. Etiam filius majorennis, quamquam aut sui juris existit, aut ut sui juris fiat, postulare potest, tamen, si in negotiis paternis occupatur, mercede quidem vel retributione dignus est, sed ipsos laboris fructus patri acquirit, non sibi, siquidem patris nomine laborat.

3. Imo filius minor sub paterna potestate constitutus, si, quae sibi lucrari potuit, clam detinet, parentibus abscondit, saltem per se illicite administrationem suorum bonorum sibi arrogat, atque non raro propter periculum mali usûs atque laxioris vitae peccat. — (In Anglia videtur filiis plus juris concedi.)

4. Attamen quum administrationis injusta arrogatio longe difficilius gravem justitiae laesionem erga patrem contineat, atque alia peccandi pericula non semper vel existant vel gravia sint: *difficultas practica* oritur, quomodo et quando filii sive majores sive minores in domo paterna manentes peccent, idque graviter contra justitiam adeoque cum onere restitutionis, eo quod vel aliquid lucri sibi invitibus parentibus retineant vel pro laboribus factis ex paternis bonis sibi quaedam surripiant.

Cui difficultati ut respondeam, haec noto:

A. Sumo, filium laborare in domo paterna, atque in augendis bonis paternis incumbere. — Quod si fit, aliquam retributionem sibi vindicari a filio, ab injustitia immune esse potest a) ratione *aetatis*, si filius majorennis est, quamquam nondum emancipatus, modo ne parentes ejus labore prorsus indigeant; b) ratione *extraordinarii laboris* a filio etiam minore nondum

emancipato praestiti. Extraordinarius autem censetur labor, si filius aut ratione status laborare non tenetur, aut aliis filiis *notabiliter plus* laboravit. Videlicet in hisce casibus filius famulo vel altero conducto non est deterior. Attamen ne justitiae limites excedat a) cavendum est, ne notabilis excessus dicatur, quando labor impensus vix aequet expensas sustentationis, quam a patre filius accipit; b) cavendum est, ne *bis* congruam retributionem filius sibi vindicet; siquidem parentes non raro intendunt, in testamento vel aliis modis postea filium prae reliquis remunerare.

B. Sumo, filium *minorem*, qui extra domum labores suos in fabrica, officina, aliisve modis collocavit, in domo paterna autem alitur, ita ut parentes exigant sibi mercedem filii diurnam vel hebdomadariam.

Quodsi pater pro conditione sua filium locavit, videtur lucrum, quod filius facit, potius bonis profectitiis aequiparandum esse, quod pro patre acquiritur, maxime si pater etiam domi filio pro conditione sua labores imponere possit: quapropter eadem valent, quae sub 1. dicta sunt, adeoque videtur difficilius filio aliquid indulgeri posse, si partem mercedis patri occultat. At quia non ita constat, patrem ex justitiae potius, quam ex pietatis obligatione filium adigere, a nimia severitate etiamtum cavendum est, maxime *post* factam aliquam defraudationem.

Si vero filius ipse se suosque labores locavit, facilius dici potest, lucrum in se vere a filio *ut suum* acquiri, quamquam pater administrationem habet. Attamen plures tituli esse possunt, cur pater lucrum a filio factum sibi juste reclamet: a) quod filius tantum saltem patri cedere debeat, quantum pater in illius sustentationem impendit; b) quod etiam necessitatibus parentum providere teneatur; c) quod etiam pro conditione sua aliquid conferre debeat ad sustentationem et educationem fratrum et sororum natu minorum. Haec imprimis prae oculis habenda sunt: praeterea vero periculum abusûs, quem filius forte cum pecunia committit. — Quoniam igitur rationes graves sunt, cur filio non ita indulgeatur; ex altera parte etiam plures atque graves rationes, quae frequenter filium excusent a *gravi* justitiae laesione: *ante* factum generatim potius in severiorem, *post* factum in mitiorem partem inclinandum est explorando causam, quae a restitutione filium excuset: nisi forte in quibusdam regionibus, ut *Americae*, leges parentibus plus concedant, vel totum filii, qui a patre alatur, lucrum patri addicant.

NB. A restitutione facienda aliquando etiam in iis circumstantiis, in quibus justitia vere laesa sit, sed bona sublata non amplius exstent, excusare potest condonatio parentum prudenter praesumpta.

5. Quando filius cum bonis paternis negotiatur, aliquando patri, ali- 891 quando sibi lucratur. Quod accuratius distinguendum est, quando filius, *patre inscio*, cum bonis paternis negotiatur.

Sc. 1) si filius nomine patris agere intendit, adeoque *consensum patris praesumpsit*, lucrum bonum profectitium est atque patri acquiritur: (quare summum ratione mercedis secundum supra dicta filius aliquid sibi petere potest).

2) Si filius proprio nomine agit: quamquam generatim peccat, sibi assumens pecuniam patris, tamen lucrum inter bona adventitia potius recensendum est, appositis quibusdam clausulis et limitibus, sc.: a) si pecunia mansura erat apud patrem *otiosa*, vel si filius patri furatus est pecuniam, lucrum, quod *proprio nomine* filius lucratur, adventitium quidem est; b) at nisi vere *otiosa* mansura erat, filius ex justitia patri restituere debet lucrum

cessans et damnum emergens; c) debuit filius in se sumere obligationem respondendi pro periculo sortis; quod quum filius efficaciter in se suscipere fere non possit, generatim hac re peccat: alias enim summum poterat ex praesumpta voluntate patris, quem interrogare nequibat, per modum contractus societatis agere. Quodsi fecerit, pars lucri patri, pars filio acquiritur; d) quando negotiatio *universim* nomine patris a filio agitur, sed de *speciali aliquo* lucro dubium movetur, num filius *suo* nomine id fecerit: praesumendum est, eum etiam tum nomine patris egisse, quamdiu de contrario non constat; nam plerumque filius sine peccato non potuit suo nomine agere, eum vero peccasse, non praesumitur. Cf. de omnibus istis Lugo *de just. et jure disp.* 5 n. 40, et cum illo: Tabien., Ant. Gomez, Bartol., Angel., Rosella, Sanchez etc.

§ 2.

De bonis uxorum.

892 Quum diversa jura diversa de bonis uxorum disponant, hic ante omnia ea breviter notanda putavi, in quibus varia jura magis conveniunt.

Dotalia bona vocantur, quae ab uxore vel ejus parentibus marito constituuntur, quibus illa ad onera matrimonii cum marito portanda concurrat.

Paraphernalia, vel etiam receptitia, quae praeter dotem uxoris sunt et manent.

Communia, quae conjugibus aliquo saltem modo communia sunt, ita ut uterque conjugum quoddam jus in ea habeat.

Quibus praenotatis, haec teneto:

I. Dotalia bona in jus mariti transeunt ita saltem, ut usum et usumfructum habeat: attamen aut ipsorum substantia, aut eorum valor vix non ubique speciali et privilegiato modo uxori reservatur, atque cautio de eo praestatur, ita ut post mariti mortem, vel bonorum cessionem ea integra recipiat.

II. Omnia etiam jura concedunt, ut uxor bona quaedam pleno jure sibi reservet, quae vel paraphernalia vel receptitia dicuntur; quorum et dominium et usumfructum habet, administrationem pro variis juribus plus minusve impeditam.

III. Complura jura etiam agnoscunt bona communia, quae mariti quidem administrationi subsunt, ita tamen, ut uxor quoque saltem in partem eorum, quae soluto matrimonio supersunt, jus habeat. Accuratio vero horum bonorum determinatio jurisque, quod uxori competit, constitutio non ubique eadem est.

IV. Legales dispositiones de bonis conjugum generatim non impediunt, quominus ipsi conjuges sive ante matrimonium sive etiam multis in locis post matrimonium libere alio modo de suis bonis pacisci possint. Quare legales dispositiones maxime in defectu singularis conventionis observandae sunt.

Ex juribus singularibus haec praecipue notatu digna sunt; specialia omnino a jurisconsultis in sua quisque regione petere debet.

I. Jus Romanum secundum *systema dotale* bona conjugum eorumque mutua⁸⁹³ jura determinat:

1. Maritus familiae debet providere; ad quem finem uxor ut conferat, marito dotem affert. Hujus dotis maritus habet usumfructum et administrationem, uxor vero dominium directum: quodsi dos in pecunia vel rebus consumptibilibus consistit, dominium plenum transit in maritum, ita tamen, ut pro cautione dotis bona mariti omnia uxori obligata sint. Mortuo viro, uxor omnibus creditoribus personalibus mariti praefertur quoad dotem recuperandam; atque etiam vivente viro, dotem juridice repetere potest, si timet, ne vir solvendo esse desinat.

2. Nisi alia bona quaedam constituantur ut *communia*: uxor retinet reliquorum bonorum (*paraphernalium*) plenum dominium et administrationem, ita ut maritus, uxore nolente, de illis nihil disponere possit. Quomodo autem uxor ipsa in variis contractibus mariti adiutorio indigeat, postea dicendum est.

II. Jus in plerisque Germaniae partibus vigen et *systema dotale* et *systema unionis* vel *communio bonorum* admittit.

A. *Unio bonorum* intactum quidem relinquit etiam uxori jus domini suae bonorum partis; sed administrationem suo jure exercet maritus, ita tamen, ut de bonis immobilibus, quae uxoris manserunt, disponere generatim non possit, nisi ex ejus consensu.

Communia vero bonorum sic concipitur, ut in ea bona uterque conjux dominium habeat in communi seu per modum societatis sub administratione mariti: soluta communione, bona communia dividuntur, ut uterlibet ejusve haeres separatim dimidium recipiat.

Haec bonorum communio potest esse partialis, aut perfecta seu totalis.

B. Si *bonorum communio partialis* inter conjuges existit,

1. communia bona, nisi conjuges libere quaedam restrinxerint, haec completuntur: 1) bona, quae conjuges ut communia contulerunt, vel postea ut communia conscripserunt; 2) ususfructus horum bonorum, vel quaecunque ex communibus bonis orta iisve substituta sunt; 3) quae in matrimonio alterutrius industria et labore acquisita sunt.

2. Reliqua bona separata sunt sive mariti sive uxoris. Bonorum autem uxoris pars aliqua *pro dote* constituitur (de qua supra); mariti bonorum pars *pro antidote*, quo de dote caveatur.

3. Maritus *suorum* bonorum liberam omnino dispositionem habet; uxor in suorum bonorum dispositione ita ligata est, ut aut administratio aut advocatio in judicio ad maritum spectet.

4. Debita tempore matrimonii simili modo possunt contrahi communia, possunt ab utrolibet conjuge contrahi privata et separata. Debita vero ante matrimonium contracta per se non sunt communia.

5. Matrimonio morte alterutrius conjugis soluto, conjux superstes praeter bona sua separata jure suo reclamatur dimidiam partem bonorum communium.

C. Admittitur vero etiam *perfecta bonorum communio*; imo si nihil statuitur a conjugibus, haec non raro lege stabilitur.

Quae si inita est, 1. et bona et debita sive ante sive post matrimonium acquisita vel contracta communia sunt.

2. Quoniam uterque conjux in omnia bona jus habet, maritus, quamquam jure administrationis utitur, in eo tamen sic restrictus est, ut in dispositionibus circa bona immobilia generatim uxoris consensu indigeat.

3. Ex eadem ratione fit, ut, stante matrimonio, voluntatis ultimae dispositiones solo utriusque consensu fieri possint.

D. Secundum particulares leges Borussicas, seclusa alia conventionione:

1. Maritus usumfructum omnium bonorum uxoris habet et administrationem.
2. Alienare nequit bona uxoris immobilia aut capitalia, nisi cum ejus consensu.
3. Uxor, si suis bonis timet, potest juridice postulare, ut marito administratio subtrahatur.

4. Mortuo viro, bona, quae uxor attulit, ad eam ejusve haeredes transeunt.